

quidem loco ponens duo interstitia sive limites, quorum unum erit signum in quo consistent prælati, principes, nobiles et alii associantes Serenissimum Regem Catholicum et illustrissimam dominam Margaritam amitam suam, et aliud erit signum in quo consistent prælati, principes, nobiles et alii associantes Serenissimum Regem et Reginam Angliæ; inter quæ dicta intestitia vel signa, dicti Serenissimi reges personaliter convenient, congregent et mutuo se se videbunt et colloquentur, tempore modo et forma sequentibus videlicet: Eadem dicta XX die Julii, Serenissimus Romanorum Rex ad oppidum suum de Gravelinghes associatus illustrissima domina Margarita amita sua prædicta personaliter accedit, et eadem die Serenissimus Angliæ Rex ad oppidum suum de Calisia associatus Serenissima Regina Angliæ uxore sua personaliter se conferret, et infra duos dies immediate sequentes, hoc est XXIII die dicti mensis Julii, dicti potentissimi principes, hora nona ante meridiem a supradictis suis oppidis versus prædictum locum medium equaliter ut prædictitur distantem, qui fuerit a commissariis utriusque principis deputatus et nominatus, progredientur, præcedentibus insignis regiis utriusque principis, et nobilibus eorum, sequentibus dictis illustrissimis dominabus cum ceteris qui ibide interesse debent. Et quod primum nobiles dicti Romanorum Regis qui eum præcedent ad locum præfixum, et pari modo nobiles præcedentes Serenissimum Angliæ Regem progredientur usque ad locum etiam eis per dictos commissarios destinatum, ultra quem locum non progredientur, et ibidem sistent et spectabuntur. Dicti vero principes et principissæ per medium suorum transibunt usque ad dictum præfixum locum. Cum vero ad ultimum hominem suum quilibet dictorum principum pervenerit, tunc quilibet dictorum Regum caput discoperiet et versus alium discoperto capite properabit, amboque in illo loco medio qui inter nobiles utriusque partis erit equitantes, se mutuo salutabunt, amplexabunt et invicem colloquentur.

Item, conventum et concordatum est, quod in dicto loco medio sive spacio nemini licebit intrare nisi dictis principibus, et cum dicto Serenissimo Romanorum Rege intrabit illustrissima domina Margarita amita sua et illustrissimus dominus marchio de Arscht, et cum dicto Serenissimo Rege Angliæ intrabit Serenissimam Regina Angliæ uxor ejus et reverendissimus dominus legatus cardinalis Eboracensis. Licebit tamen dictis principibus alios si voluerint secum voare pro dicto primo congressu et

ad dictum medium locum, ubi se salutare debent secum adducere. Dictus tamen Romanorum Rex, postquam dictum Serenissimum Angliæ regem salutaverit, statim Serenissimam Reginam materteram suam salutaturus accedit, et dictus Serenissimus Rex Angliæ quamprimum salutaverit dictum Serenissimum Romanorum Regem, illustrissimam dominam Margaritam salutaturus accedit eamque ad Serenissimam Angliæ reginam adducet, ut mutuo dictæ serenissimæ se amplexentur. Quibus peractis, dicti potentissimi principes mutuo colloquentur quamdui eis placebit, et postquam locuti fuerint, descendentes de eorum equis intrabunt papilliones ab utroque principe in dicto loco hinc inde paratos, ibidemque collationem facientes gaudebunt et utentur mutua conversatione, et hora competenti, quilibet eorum ad loca prædicta de Gravellinghes et Calisia cum eorum comitiva revertentur. Ante vero eorum discessum, statuerint et ordinabunt inter se quibus locis temporibus horis sequentibus diebus convenere debebunt, ad conferendum de his rebus quæ ad utriusque honorem dignitatem et commodum spectare videbuntur.

Item, conventum et concordatum est, quod comitiva dictorum principum, tam nobilium quam aliorum, erit inermis. Licebit tamen illis de guardia seu custodia utriusque principis deferre arma assueta quibus uti consueverunt pro custodia dictorum principum. Numerus dictæ comitivæ non erit maior sed equalis, et tantus quantus continebitur (*in carta*) manibus supradictorum oratorum signata, hinc inde tradenda.

Item, ad tollendos errores et scandala quæ possent oriri si, tempestate maris impetu ventorum vel alio fortuito casu quod Deus avertat, Catholicus Rex Romanorum et Hispaniarum cum sua classe, vel forte aliquæ naves dictæ classis compellerentur applicare ad aliquos alios portus regni Angliæ vel dominii Hibernie quam ad dictum locum des Sandevich, ex eo quod dicta classis verisimiliter erit munita bellicis instrumentis et viris armatis, conventum concordatum et conclusum est, quod dictus Serenissimus Rex Angliæ citra finem huius mensis Aprilis ordinabit et mandabit per omnia loca maritima regni sui, quod ubicumque contigerit prædictum Regem una cum classe sua, vel naves alias suas applicare Serenissimo regi Angliæ existenti in regno Angliæ vel ultra mare, victualia et alia ipsis necessaria impensis ipsorum applicantum pro iusto præcio ministrabuntur, ac amicabiliter et favorabiliter recipientur et tractabuntur, proviso tamen quod dictæ gentes ar-